

linea paterna, et primam ex linea materna. Haec juris dispositio non viget in Gallia, ubi haeretici conversi non habentur irregulares.

3. *Ex indebitis susceptione, vel usu Ordinis*, propter quam irregulares sunt, 1. Qui suscipit Ordines per saltum, vel furtive, vel ligatus matrimonio, vel ab Episcopo non habente jurisdictionem; vel tandem qui in excommunicatione majori, suscipit Ordinem sacrum. 2. Qui ligatus excommunicatione majori, aut suspensione, aut interdicto, exercet actum proprium sui Ordinis. Item, qui exercet actum proprium Ordinis, quem non habet: ii excipiuntur qui cum dalmatica, sed sine manipulo, vices Subdiaconi gerunt. Item qui scienter celebrat in loco interdicto.

4. *Ex homicidio, mutilatione, et abortu*, propter quam irregulares fiunt, non solum qui homicidium voluntarium injuste perpetrant, sed et omnes cooperatores, v. gr. mandantes, consulentes, non impediens, cum tenentur ex justitia impedire. Ergo non incurritur irregularitas ex homicidio pure casuali, omni diligentia adhibita, nisi occisor vacaverit rei illicitae, ut statuit Greg. IX. *cap. Quidam, de homicidio*.

Quaeres 7. *Quomodo tolli potest irregularitas?*

*Resp.* 1. Omnes irregularitates ex delicto, et omnes ex defectu qui non remanet post Baptismum, tolluntur per Baptismum. 2. Irregularitas ex defectu temporali, tollitur per cessationem defectus. 3. Irregularitas ex defectu natalium, tollitur per solemnem Religionis professionem, sed quoad Ordines tantum, non quoad praelaturas et dignitates. 4. Tollitur per dispensationem.

Quaeres 8. *Quis dispensare possit in irregularitate?*

*Resp.* 1. S. Pontifex potest dispensare in omni irregularitate jure humano inducta. 2. Episcopus, ex Concil. Trident. *sess. 24. de ref. c. 6.* potest dispensare in omni irregularitate proveniente ex delicto occulto, nec ad forum contentiosum deducto, excepta ea quae

*oritur ex homicidio voluntario*; sed nullo modo potest dispensare in irregularitate ex defectu, excepta ea quae provenit ex defectu natalium, in qua potest dispensare ad Tonsuram; minores Ordines, et beneficia non requirunt susceptionem Ordinis sacri, ex cap. *Is qui*, de filiis Presbyterorum, in 6.

## §. V. De Censuris.

Quaeres 1. *Quid sit censura?*

*Resp.* Definitur: *Poenae, ab ecclesiastica potestate inflicta, hominem viatorem, baptizatum, adultum delinquentem, privans usu bonorum Ecclesiae spiritualium et communium, donec a contumacia resipiscat.*

Dicitur 1. *Poenae*: per quod convenit cum depositione, degradatione, &c.

Dicitur 2. *Ab ecclesiastica potestate inflicta*: quia est actus jurisdictionis spiritualis a Christo concessae praelatis Ecclesiae, his verbis: *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in Coelo.*

Dicitur 3. *Hominem viatorem baptizatum*: quia solus viator et baptizatus sunt subditi Ecclesiae.

Dicitur 4. *Adultum*; quia infantes non sunt capaces peccati. Quoad impuberes adultos, possunt equidem ligari censura a jure, non vero censura ab homine, quia non censentur habere sufficientem maturitatem ad intelligendum ordinem judicium.

Dicitur 5. *Delinquentem*; quia gravis poena supponit grave peccatum, quod debet esse. 1. *Externum*. 2. *Mortale*, vel ex circumstantiis; 3. *Opere completum et consummatum*, nisi aliud exprimat in lege. 4. *Cum contumacia conjunctum*, id est, cum praecepti et censurae contemptu.

Dicitur 6. *Privans usu*, non autem ipsa potestate, v. gr. titulo beneficii.

Dicitur 7. *Bonorum spiritualium* non temporalium,

nisi secundo: *Et communium*, nempe publicorum Ecclesiae suffragiorum, sacrificiorum, Sacramentorum, et aliorum, quae dispensat Ecclesia.

Dicitur 8. *Donec contumacia resipiscat*, ut denotetur finis censurae, quae est poena *medicinalis, non mortalis*, ait Innoc. IV.

Quaeres 2. *Quaenam causae excusent a censuris?*

*Resp.* Quatuor: nempe, 1. Ignorantia invincibilis, sive juris, sive facti. 2. Impotentia moralis. 3. Metus gravis. 4. Invaliditas censurae, non vero ejus injustitia.

Quaeres 3. *Quid requiratur, ut censura ab homine sit valida?*

*Resp.* Requiritur 1. Jurisdictio in ferente. 2. Culpa mortalis in subjecto. 3. Ut praecesserit una saltem monitio, quae absolute spectat ordinem substantialem Judicii.

Quaeres 4. *Quid requiratur ut censura sit justa?*

*Resp.* Requiritur, ut accidentaliter ordo Judicii observetur, juxta quem 1. Debet praecedere trina monitio. 2. Sententia debet ferri scripto. 3. Denuntiatio illius qui censuram contraxit, debet fieri publice in Ecclesia, vel ad valvas Ecclesiae affigi, juxta morem receptum cujusque Dioecesis.

Quaeres 5. *Quinam absolvere possint a censura?*

*Resp.* 1. Quilibet Sacerdos potest absolvere, 1. a censuris non reservatis; 2. ab omnibus reservatis, in articulo mortis.

*Resp.* 2. A censura ab homine, per sententiam particularem lata, nullus potest absolvere, nisi qui eam tulit; vel S. Pontifex; vel etiam Metropolitanus, sed jure duntaxat visitationis, aut appellationis.

*Resp.* 3. A censura a jure, vel per statutum lata, quam sibi Legislator reservavit, nemo potest absolvere, nisi qui eam tulit, vel ejus superior, vel ab ipso delegatus. . . . Porro Episcopi, velut Papae delegati, possunt absolvere ab omnibus censuris Papae reservatis.

1. Quando casus sunt occulti, nec ad forum contentiosum deducti. 2. Quando rei sunt impuberes, senes, debiles; vel quando non sunt sui juris, ut mulieres, filii familias; vel quando ob legitimum impedimentum, non possunt recurrere ad Papam. . . . Sic tamen absoluti, cessante impedimento, tenentur, sub poena reincidentiae, se sistere coram Papa, vel ejus Legato, ut mandata ejus suscipiant. *cap. Mulieres, et cap. de caetero, de sent. excomm.*

Quaeres 6. *Quomodo dividatur censura?*

*Resp.* Dividitur 1. In eam, quae est a jure, et eam, quae est ab homine; et utraque, vel est latae sententiae, vel ferendae.

Censura, *a jure*, est ea, quae per *Canones, seu statutum perpetuum fertur generaliter in omnes subditos. . . . Censura ab homine*, est ea, quae per *sententiam Judicis, aut praeceptum transitorium, fertur propter factum particulare, vel in personas particulares.*

Censura *latae sententiae*, est ea, quae incurritur ipsa *criminis admissione, absque ulla ulteriori Judicis sententia. . . . Censura ferendae sententiae*, est ea, quae non contrahitur, nisi accedente *Judicis sententia*: unde vocatur, *comminatoria*. Porro in dubio utrum sit latae, vel ferendae sententiae, censenda est ferendae; quia, *in poenis benignior est interpretatio facienda*, ait *Reg. 49. jur. in 6.*

Quaeres 7. *Quotuplex sit censura?*

*Resp.* Est triplex, nempe *excommunicatio, suspensio, et interdictum*; ita statuitur, *cap. quaerenti, de verb. signif.*

*De Excommunicatione.*

Quaeres 1. *Quotuplex sit excommunicatio?*

*Resp.* Duplex, nempe, *major*, qua quis privatur omnibus Ecclesiae bonis communibus; et *minor*, qua quis privatur participatione Sacramentorum, et electione

passiva ad dignitates et beneficia Ecclesiastica. Haec solum contrahitur propter illicitam cum excommunicato non tolerato conversationem.

Quaeres 2. *Quinam excommunicati sint vitandi?*

*Resp.* Post Bullam Martini V. Ad vitanda, ii solum sunt vitandi. 1. Qui per sententiam Judicis Ecclesiastici nominatim sunt excommunicati, ac specialiter et publice denunciati. 2. Notorius Clerici percussor: verum in Gallia nulla admittitur notorietas facti, unde percussor Clerici non est vitandus, donec per sententiam Judicis sit declaratus.

Quaeres 3. *Quot sint effectus excommunicationis majoris.*

*Resp.* Sunt septem.

1. Est privatio communium Ecclesiae suffragiorum, etiamsi excommunicatus Deo per contritionem sit reconciliatus.

2. Est privatio administrationis et receptionis Sacramentorum.

3. Est privatio facultatis audiendi Missam, et officii publicis assistendi.

4. Est inhabilitas ad dignitates et beneficia Ecclesiastica acquirenda.

5. Est privatio exercitii liciti omnis jurisdictionis spiritualis: immo et exercitii validi, si sit nominatim denunciatus, nec toleratus, ut refert Glossa, in cap. Ad probandum, de sent. et re judicata. Hinc licet excommunicatus non toleratus, possit valide consecrare, quia consecratio est actus Ordinis, non potest tamen valide absolvere, quia absolutio est actus jurisdictionis.

6. Est privatio omnis communicationis cum fidelibus: unde distinctio tolerati a non tolerato, non est in favorem excommunicati, sed in favorem fidelium, qui non peccant communicando cum excommunicato tolerato, licet peccet excommunicatus toleratus communicando cum fidelibus.

7. Est privatio sepulturae Ecclesiasticae, si excommunicatus non sit toleratus: si tamen ante mortem signa poenitentiae dederit, debet absolvi, et Ecclesiastica sepultura donari.

Quaeres 4. *Quot sint actus in quibus fideles tenentur vitare excommunicatos non toleratos.*

*Resp.* Sunt quinque, versu sequenti expressi:

*Os, orare, vale, communicio, mensa negatur.*

*Os*, significat omnem allocutionem, sive verbo, sive scripto. *Orare*, significat omnem in orationibus communicationem, tam intra, quam extra Ecclesiam. *Vale*, significat salutationem honorificam, sive verbo, sive nutu, sive facto. *Communicio*, significat omnem societatem, sive in habitatione, sive in contractibus. *Mensa*, significat omnem in cibo et potu participationem.

Quaeres 5. *In quibus casibus jura permittunt communicare cum excommunicato vitando?*

*Resp.* Sunt quinque, hoc versu comprehensi.

*Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.*

Per *utile*, intelligitur utilitas spiritualis, vel corporalis, tum nostra, tum excommunicati. Per *lex*, intelligitur matrimonium. Per *humile*, intelligitur officium subjectionis, quam debent filii parentibus, famuli dominis. Per *res ignorata*, intelligitur ignorantia juris et facti, modo non sit crassa et affectata. Per *necesse*, intelligitur necessitas vel spiritualis, vel corporalis, tum nostra, tum excommunicati.

Quaeres 6. *Quam poenam incurrant, qui communicant cum excommunicatis non toleratis?*

*Resp.* Incurrunt excommunicationem minorem: immo incurrunt majorem, 1. Cum communicant in crimine criminoso. 2. Cum excommunicatum in loco sacro sepeliunt. 3. Cum eum admittunt ad divina officia, vel coram illo scienter Missam celebrant.

Quaeres 7. *Quinam sint effectus excommunicationis minoris?*

*Resp.* Sunt duo: 1. est privatio receptionis Sacramentorum, non vero administrationis. 2. Privatio electionis passivae ad dignitates et beneficia Ecclesiastica: potest ergo eligere, sed non eligi.

Quaeres 8. *Quid sit monitorium?*

*Resp.* Definitur, *mandatum Judicis Ecclesiastici, quo, sub poena excommunicationis post trinam monitionem incurrendae, jubet revelari auctores criminis reipublicae perniciosi, vel gravioris damni proximo illati.*

Quaeres 9. *Quinam excusantur ab obligatione revelandi?*

*Resp.* Excusantur. 1. Infantes. 2. Il qui non suat subditi Praelati, qui Monitorium decernit. 3. Qui ex revelatione cum fundamento timent grave damnum, vel sui, vel familiae. 4. Consanguinei usque ad 4. gradum inclusive, et affines usque ad 2. 5. Il quibus delictum revelatum est capiendi consilii causa. 6. Fidus amicus. 7. Clerici, dum illorum revelatione aliquis extremo supplicio plecti posset, exceptis causis laesae majestatis, haeresis, &c. tamen in Gallia Clerici in causa sanguinis, licite et absque periculo irregularitatis, ferunt testimonium. 8. Is qui certo novit detentorem, justo titulo rem possidere. 9. Reus et complices, qui nec se ipsos, nec socios criminis tradere tenentur. 10. Famili rei, si a Judice non interrogentur, qui tamen tenentur revelare, si a Judice interrogentur.

#### De Suspensione.

Quaeres 1. *Quid sit suspensio?*

*Resp.* Est, *censura, qua, Clericus privatur usu officii ecclesiastici, vel beneficii, vel utriusque simul.* Solus Clericus potest esse subjectum suspensionis.

Quaeres 2. *Quotuplex sit suspensio?*

*Resp.* Duplex, nempe, totalis et partialis.

Suspensio *totalis*, est ea, qua Clericus privatur usu ecclesiastici officii, et beneficii simul.

Suspensio *partialis*, est ea, qua Clericus privatur usu vel Ordinis tantum, vel jurisdictionis tantum, vel officii tantum, ad quod pertinet potestas Ordinis et Jurisdictionis; aut usu beneficii tantum. Verum haec ultima suspensio locum non habet in Gallia, ubi Clericus quandiu non est depositus, nec spoliatus beneficii titulo, non potest, sine abusu, privari fructibus beneficii per Judicem ecclesiasticum.

Quaeres 3. *Quinam sint effectus suspensionis?*

*Resp.* 1. Suspensus ab Ordine, exercendo functiones Ordinis, fit irregularis. 2. Suspensus ab officio, est inhabilis ad acquirenda beneficia.

#### De Interdicto.

Quaeres 1. *Quid sit interdictum?*

*Resp.* Definitur: *Censura privans hominem, vel locum, vel utrumque simul, publica divinorum officiorum celebratione, aliquorum Sacramentorum administratione, et usu ecclesiasticae sepulturae.*

Ergo, triplex est interdictum. *Personale*, quo quibusdam personis ubique prohibetur divinorum officiorum auditio, aliquorum Sacramentorum participatio, ac sepultura ecclesiastica. *Locale*, quo prohibetur ne in aliquo loco celebrentur officia divina, administrentur aliqua Sacramenta, neve quisquam in eo sepeliatur. *Mixtum*, quod conflatur ex locali et personali omnesque illorum producit effectus.

Ergo non privat administratione omnium Sacramentorum, sed quatuor tantum, scilicet Eucharistiae respectu sanorum, Extremae-Untionis, ordinis, et Matrimonii, *ex cap. alma, de sent. excomm. in 6.*

Quaeres 2. *Quas poenas incurrant qui violant interdictum?*

*Resp.* 1. Clerici, si exerceant actum proprium Ordinis, fiunt irregulares: si sepeliant in loco interdicto, incurrunt excommunicationem Episcopo reservatam. 2. Laici incurrunt excommunicationem Papae reservatam. 3. Regulares, qui non servant interdictum locale generale, quando servatur ab Ecclesia matrice loci in quo habitant, excommunicationem ipso facto incurrunt, *Concil. Trident. sess. 25. cap. 12. de ref.* Caetera quae pertinent ad interdictum, vide *Tom. 7. art. 4 de interdicto.*

*De cessatione a divinis, depositione, &c.*

*Quaeres 1. Quid sit cessatio a divinis?*

*Resp.* Est, prohibitio celebrandorum officiorum divinatorum, administrandorum aliquorum Sacramentorum, et ecclesiasticae sepulturae, ab homine vel a jure facta ob justam causam, v. gr. ob pollutionem Ecclesiae. . . . ex hoc patet quod producat eosdem effectus ac interdictum; ejus tamen violatio non inducit irregularitatem, quia non est censura; sed regulares eam violantes incurrunt ipso facto excommunicationem. *Clem. 1. de sent. excom.*

*Quaeres 2. Quid sit depositio?*

*Resp.* Est poena ecclesiastica, qua Clericus in perpetuum privatur omni beneficio et officio Clericali, retento solo privilegio Canonis et fori.

*Quaeres 3. Quid sit degradatio?*

*Resp.* Est poena ecclesiastica, qua Clericus in perpetuum et solemniter privatur, non solum omni officio et beneficio Clericali, sed etiam privilegio Canonis, et fori, retento solo caractere, *cap. degradatio, de poenis, in 6.*

DISSERTATIO VIII.

De Matrimonio.

**A**gemus 1. De sponsalibus 2. De existentia et essentia Matrimonii. 3. De ministro et consensu requisito. 4. De ejus bonis et proprietatibus. 5. De ejus impedimentis. 6. De dispensatione ab ejus impedimentis.

§. I. De sponsalibus.

*Quaeres 1. Quid sint sponsalia?*

*Resp.* Definiuntur: *Futuri Matrimonii promissio*, quae debet esse 1. *Libera*, id est, sine coactione, et metu gravi injuste incusso, quo Matrimonium redditur nullum, ac proinde sponsalia, quae naturam Matrimonii sequuntur. 2. *Mutua, et acceptata*, quia est contractus onerosus. 3. *Vera*, non ficta. 4. *Facta inter personas legitimas*, id est, habiles ad contrahendum suo tempore Matrimonium.

*Quaeres 2. Quot effectus producant sponsalia?*

*Resp.* Duos: 1. Est impedimentum publicae honestatis, quod ex eis oritur. 2. Est gravis obligatio contrahendi Matrimonii tempore praefinito, nisi adsit justa causa differendi.

*Quaeres 3. Quot modis sponsalia, etiam juramento firmata, dissolvi possint?*

*Resp.* Dissolvuntur 1. *Mutuo et libero sponsi et sponsae consensu*. 2. *Per susceptionem sacrorum Ordinum*. 3. *Per ingressum religionis, saltem quoad partem in seculo manentem*. 4. *Per subsequens Matrimonium cum altero contractum*. 5. *Per superveniens impedimentum affinitatis*. 6. *Per subsequentem unius fornicationem*. 7. *Per notabilem mutationem supervenientem, talis est notabilis difformitas, infirmitas, morbus*